

alienatas seu dissipatas aut aliis justo titulo vere debitas, Papæ suo principali recuperet; et quidem suo ordine anterioritatis juxta ordinem faciendi restitutionem assignatam sub verb. *Restitutio*, artic. 4, a n. 29. Cum hæc tamen advertentia, quod si pecunia pro indigentibus Fratrum syndico seu substituto tradita, in individuo ab aliis distincta et separata reperiatur (de quo vel syngrapha appareret vel esset in capsula deputata ad asservandas solas dictas elemosynas pro Fratrum necessitatibus oblatas), esset novo modo integre tradenda, quamvis nihil omnino superesset, quo aliis creditoribus satisfieri posset, per jura a simili allata sub dict. verb. *Restitutio*, art. 4, n. 31. Hinc pro obviandis litigiis, quæ possent suboriri circa dictas pecunias pro Fratribus a benefactoribus donatas, instruendi et serio admonendi sunt syndici, ut supradictam omnino fideliter servent praxim in illarum asservatione et custodia.

(28. Possunt conventus præter syndicum, habere etiam substitutum nominandum a dicto syndico; *Communis*, per text. in cit. c. *Exiit* 3, § *In ea vero*, De verbor. significatione in 6, ubi dicitur substitutum principalis domini posse alium substitutum nominare; syndicus autem est substitutus seu delegatus Domini principalis, nempe Papæ, de cujus dominio sunt res pro Fratribus relictæ, et per ipsum in eorum necessitates applicandæ: et id habetur in statutis capituli generalis anni 1676 confirmatis in forma specifica ab Innocentio XI, constitut. incip. *Militantis*, ibi: «Capitulum generale præcipit sub pœna privationis suffragii, quod minister seu promister, et custos cujuscunque provincie simul ad capitul. iter faciant cum unico tantum socio religioso pro utroque, et si expensæ aliquæ in itinere ex necessitate faciendæ sint, adducant secum tertiarium, qui syndici Apostolici substitutus sit, et ipsius nomine expensas prædictas inevitabiles faciat.»

(29. Talis igitur substitutus non est deputandus a Fratribus, cum generales, provinciales et custodes privilegiati non sint ad deputandos hujusmodi substitutos, sed syndicos duntaxat, prout clare patet in d. constitutione Pauli IV incipient. *Ex Clementi*. Unde talis substitutus nominandus et deputandus est ab ipsomet syndico, ubi prospiciat se non posse in totum per seipsum munus implere; arg. cit. statut. general. confirmat. in d. constitut. *Militantis*, et c. *Si pro debilitate* 3, et c. *Præterea* 5, de offic. et potestat. judicis delegat., c. *Cum causam* 62, De appellationib., l. *Adjudic.* 5, De judiciis, ubi disponitur, quod delegatus a Papa vel principe (uti est syndicus Apostolicus) potest subdelegare, imo syndicus Apostolicus, nedum unum, sed et plures substitutos, prout opus fuerit, potest deputare: sic expresse Felix Potestas tom. I, part. II, num. 1148, verb. *Syndicus*, et alii, arg. c. *Cum te consulente* 18, De offic. et potestat. judic. delegat., ubi statuitur quod delegatus

a Papa potest unum vel plures subdelegare, et tenet Glossa 1, *ibidem*, et alii passim; et id videtur expresse concessum etiam in cit. cap. *Exiit* 3, § *Articulum istum*, et § *In ea vero*, De verb. significat. in 6. Hinc substitutus seu substituti non dicitur, seu non dicuntur, substitutus seu substituti Fratrum, sed syndici Apostolici; et ideo debet substitutus, vel debent substituti pecunias recipere, nomine syndici in Fratrum necessitates expendere et ei rationem reddere, non autem Fratribus, ut recte advertit Matthæuc., *Official. curie*, c. 51, n. 8, et in *Schola paupertat.*, tit. 4, consil. 2, n. 8, dicens posse solum Fratres syndicum monere de assumenda persona apta et idonea, seu de assumendis personis aptis et idoneis, eamque seu eas proponere, ut eam seu eas assumat, si sibi placuerit, ad text. in d. cap. *Exiit*, § *Articulum istum*.

(30. Nec possunt Fratres a syndicis computus juridicos tanquam domini exigere, sed solum ad experiendam fidelitatem ipsorum, ad quam exhortandi sunt, possunt cum eis computus naturales facere. Sic constit. generales ordinis c. 4, § 2, pag. 83; Lantuscha, *Theatr. reg.*, verb. *Syndicus* in fine; Matthæuc., *Official. cur.*, c. 17, n. 44, et alii.

(31. Possunt tamen generales et provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos syndicos remove, aliosque subrogare, seu nominare, vel deputare. Sic concessisse Innocentium IV refert Casarub., in *Compend. privilegiorum*, verb. *Procuratores Fratrum seu syndici* n. 1, ibi: «Concessit etiam quod liceat prædictis ministris præfatos viros sic constitutos remove, aliosque ad prædicta exsequenda sine difficultate aliqua subrogare, quoties videbitur opportunum;» et idem concessit Paulus IV, in d. constit. incip. *Ex Clementi*; et concordant statuta generalia ordinis cap. 4, § 1, n. 3, ibi: «Declaramus, quod generalis vel provinciales ministri, non autem guardiani, possint nominare aliquos extra ordinem, sicuti nominatos privare, qui sint veri et legitimi administratores, economi, syndici, actores et procuratores,» etc.

(32. Quæ generalia statuta ordinis, *ibid.*, n. 5, expresse ordinant, quod «sine dicto procuratore vel substituto nihil emi aut vendi, vel de elemosynis prædictis sub quocunque prætextu disponi possit, sub pœna proprietatis, sub qua etiam pœna prohibemus, ne guardianus, nisi in manu syndici vel substituti de ejusdem licentia elemosynas teneat, vel per manus aliorum expendat.»

(33. Syndici Apostolici seu procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem ex concessione plurimum Summorum Pontificum, et signanter ex concessione Pauli IV constitut. incipient. *Ex Clementi*, in qua inter alias confirmat et innovat concessionem eis factam a Martino IV circa elemosynas omnes quomodocunque ad dictos religiosos provenientes, seu spectantes nimirum illas, «per se petendi, recipiendi, exi-

gendi, alienandi, transigendi, paciscendi, agendi, conveniendi, promittendi, remittendi, quietationem faciendi, agendi, defendendi, etc., cum illis et contra illos, qui hujusmodi res mobiles et immobiles, aut pretium earum, seu relictas elemosynas Fratribus in testamento occuparent, etc., ac generaliter in omnibus causis pro rebus et locis hujusmodi ad ipsam ecclesiam spectantibus, etc., in judicio, et extra,» etc.; ut fuse in dict. constitutione Pauli IV incip. *Ex Clementi*, et de quibus late P. De Gubernatis, in *Orbe seraphico*, lib. III, tom. 1, cap. 17, ac Rota, in *Romana et Mexicana* 22 Junii 1699, § *Quamobrem, coram Cardin. de la Tremville*.

(34. Ad impedienda autem multa inconvenientia ex parte dictorum syndicorum seu procuratorum oriri solita in alienationibus rerum relictarum ipsis religiosis seu conventibus, congruum existimatum fuit in sacra congregat. Concilii die 18 Martii 1719 exquirere aliquod remedium, narrando quod syndicis Apostolicis, res, et bona conventibus et religiosis relictæ aliquando vilissimo pretio venduntur, vel quia syndici eas vendunt favore propinquorum, vel quia contrahunt cum personis, quibus resistere non possunt vel nolunt. Fuit propterea in congregatione habita dicta die quæsitum: «An et quale temperamentum sit capiendum?» Fuitque rescriptum: «Quoad mobilia pretiosa ecclesie incorporata esse necessarium beneplacitum Apostolicum: quo vero ad omnes alias res, in futurum non posse syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia affixione edictorum, ut venditio fiat majori oblato.» Sic refert Ursaya, tom. III, part. 1, discep. 30 in fine, et card. Petra, tom. V *Commentar. in const.* 5 Pauli II, sect. 5, n. 5. Vide Matthæuc., *Official. cur.*, c. 30, n. 28, ubi et ipse dicit: magna ornamenta ecclesiastica non posse alienari sine licentia Sedis Apostolicæ.

(35. Syndici Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus et mistis, motis et movendis: sic expresse concessit Clemens VII, constit. 19, incip. *Dum consideramus*, ut infra:

«Dum consideramus assiduos labores et vigilias, quos dilecti filii syndici, et procuratores domorum et monasteriorum Fratrum Minorum Sancti Francisci regularis Observantiæ, et monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis et Annuntiationis ordinum, et Sororum Tertie Regulæ Sancti Francisci sustinere non cessant, merito Nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus, ipsosque a quibusvis molestiis et injuriis sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus, relevemus.

«Idcirco uni syndico et procuratori hujusmodi cum illius uxore et liberis præsentibus, et futuro singulæ domui, et monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, ipsi, et eorum quilibet omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis, quibus Fratres ordinis

Observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere possint et valeant.

«Insuper in quibusvis causis et rebus ipsos syndicum et procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus et mistis, non nisi coram iudicibus conservatoribus domorum illarum, quarum ipse syndicus et procurator fuerit, de justitia respondere teneatur, auctoritate Apostolica concedimus et indulgemus.

«Inhibendo sub excommunicationis latæ sententiæ pœna universis et singulis iudicibus, commissariis ecclesiasticis et secularibus, quacunque auctoritate fulgentibus, ne de causis contra dictos syndicos et procuratores motis et movendis, directe vel indirecte quovis quæsito colore seu prætextu se intromittere quomodolibet de cætero audeant vel præsumant. Decernentes quoscunque processus contra dictos syndicos et procuratores per alios quam dictos conservatores, in causis duntaxat contra eos motis et movendis, habendos et sententias ferendas, nullos et invalidos, nulliusque roboris vel momenti fuisse et esse: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, etc. Romæ 16 Aprilis 1526.»

(36. Ad hoc ab Innocentio XI confirmantur in forma specifica decreta variarum sacr. congr. emanata super exemptione præfatorum syndicorum.

«Alias pro parte dilecti filii Francisci Mariæ Tagliaferri procuratoris generalis ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, congregationi venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis et consultationibus episcop. et regul. præpositæ, exposito quod dudum nonnulli Romani Pontifices, et præsertim fel. record. Nicolaus III et Nicolaus IV, Martinus V et Eugenius IV, prædecessores Nostri, ut vera observantia regulæque puritas in ordine prædicto vigeret et magis augetur, Fratresque ipsius ordinis ab omni dominio et proprietate alieni conservarentur, statuerant et ordinaverant, ut unicuique conventui dicti ord. assignaretur unus procurator sive syndicus Apostolicus, qui omnes elemosynas, tam pecuniarias quam aliarum rerum colligere, illasque solus in necessitates FF. præfatorum applicare deberet.

«§ 1. Et subinde recol. mem. Clem. Papa VII, etiam prædecessor Noster, intuitu laborum, quos ejusmodi syndici in beneficio dictorum FF. quocunque tempore, et quavis occasione assidue sustinebat, eosdem syndicos a foro sæculari exemerat, volens ut in causis tam civilibus quam criminalibus, et mistis non nisi coram iudicibus conservatoribus eorundem Minorum de Observantia de justitia respondere tenerentur, et alia prout in ipsius Clementis prædecessoris litteris, desuper in similibus forma Brevis die 15 Apr. 1526, expeditis plenius dicitur contineri.

« § 2. Ac in eadem expositione subjuncto, quod nonnulli dicerent privilegium hujusmodi in aliqua sui parte amplius in usu non esse, alii vero prætenderent, illud syndicis prædictis, ratione eorum officii tantum, non autem uti talibus personis, competere, unde fiebat, ut fratres prædicti non sine paupertatis et Regulæ, quam profiterentur, ac suarum conscientiarum detrimento, neminem amplius reperire possent, qui eorum syndici sive procuratoris munus in se suscipere, eumque laborem assumere vellet.

« § 3. Ideoque pro parte præfati Francisci Maria procuratoris generalis d. congr. cardinalium supplicato, ut non solum auctoritate Apostolica confirmaretur dictum privilegium, sed etiam illud syndicis sive procuratoribus hujusmodi, ut talibus personis competere declararetur,

« § 4. Emanavit ab eadem congregat. cardinalium decretum tenoris sequentis, videlicet: « Sacra congregatio EE. S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præposita atque « attenta remissione libelli per S. D. Nostrum facta, referente emin. Norsfolch, « censuit danda esse oratori decreta alias « edita: nempe super præmissis servandam « esse præfalam constitutionem san. mem. « Clem. VII, prout præsentis decreti tenore « omnino servari mandat, et præcipit. Romæ 28 Martii 1686. »

« § 5. Porro cum dictus Franciscus Maria procurat. general. prænarata pariter exposuisset congregationi etiam venerabilium FF. Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium super immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus deputatorum, hæc congregatio censuit danda esse decreta anteriora tenoris, qui sequitur videlicet: « Sac. congregatio super immunitate ecclesiastica, et controversiis jurisdictionalibus, habita sub hac die 28 Martii 1686, circa « exposita in præsentis supplicii libello, dixit « danda esse decreta, ut infra. Die 31 Maii « 1639. » Fanen. provincialis Fratrum Minorum Observantiæ Sancti Francisci, sacra, etc; censuit respondendum episcopo, ut quoad exemptionem syndici Fratrum Min. de Observ. loci de Cartoceto faciat bullam Clem. VII observari, si in eo concurrunt requisita ejusdem bullæ.

« § 6. Die 17 Nov. 1642, in Perusina. Fratres Sancti Francisci Minor. Observ. Sacra, etc., censuit servandam esse bullam Clem. VII, circa privilegium fori et exemptionis syndicorum et procuratorum ordinis FF. Minorum S. Francisci de Observantia.

« § 7. Die 4 Aug. 1654 Fanen. episcopus: An syndicus FF. Minorum de Observantia S. Francisci gaudere debeat privilegio fori? Sacra, etc., censuit, hujusmodi syndicum gaudere privilegio fori juxta constitutionem Clem. VII.

« § 8. Die 23 Maii, 1645 Romana P. commissarius generalis curiæ quærit an syndici et procuratores Apostolici conventuum suæ religionis gaudeant privilegio fori etiam in

causis, tam civilibus quam criminalibus et mistis motis ante institutionem officiorum virtute bullæ Clement. fel. rec. Papæ VII? Sacra congr. respondit syndicos conventuum ordinis FF. Minorum de Observ. Sancti Francisci ex bulla fel. rec. Clementis VII gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis etiam motis ante eorum deputationem seu institutionem in officium syndicatus.

« § 9. Die 23 Maii 1643 Recinaten. An syndicus monialium S. Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent syndici Fratrum Minorum de Observantia? Sacra, etc., censuit hujusmodi syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem, etc. Dat. Romæ sub hac die 20 Aprilis 1686.

« § 10. Cum autem, etc. Nos, etc. Decreta præinserta a memoratis congregationibus cardinalium respective emanata auctoritate Apostol. tenore præsentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, salva tamen in præmissis auctoritate earundem respective congregationum cardinalium. Decernentes, etc., sicque in præmissis, etc., irritum et inane, etc., non obstantibus. etc. Romæ 19 Junii 1686. »

(37. Dicti syndici Apostolici non possunt compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec conveniri, nisi coram judice conservatore. Ita reperitur in libro *Decretorum sac. congregationis* super Immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus sub die 10 Maii 1669, videlicet: « Sacra congregatio inhærens declarationibus alias factis, censuit procuratorem et syndicum FF. Minorum de Observantia ex bulla fel. rec. Clement. VII gaudere privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis, et insuper non posse compelli ad exercenda munia publica communitatis, neque a quoquam posse molestari, nisi coram legitimo conservatore. » Romæ hac die 1 Januar. 1699.

Et sub die 9 Augusti 1701, sacra congregatio in favorem syndici conventus terræ Fabriani, extracti ad effectum, ut exerceret munus communitatis, rescripsit, « extrahi alium, » et iterum proposita causa et instante loci gubernatore sub die 19 ejusdem mensis et anni respondit: « In decisio. »

(38. Tales syndici gaudent privilegio fori sunt exempti a repræsaliis.

« Spoletana.

« Instantibus monialibus monasteriorum sanctissimæ Trinitatis, Sancti Pontiani et Sanctæ Catharinæ pro declaratione, agentes dictorum monasteriorum esse exemptos a repræsaliis: sacra congregatio super Immunitate ecclesiastica et controversiis jurisdictionalibus habita sub die 14 Januarii 1698, censuit syndicos tantum gaudentes privilegio fori esse exemptos a repræsaliis. » Romæ die 7 Januarii 1699.

(39. Hic juvat subnectere varia decreta sacre congregat. Immunitatis ad rem facientia, prout referuntur a D. Riccio, in sua *Synopsi*, verb. *Syndicus* nempe.

(40. Bulla fel. mem. Clementis VII circa privilegium fori et exemptionis syndicorum et procuratorum ordinis Fratrum Minorum Observ. S. Francisci est observanda: Sac. congreg. Immun., in *Perusina* 17 Novembr. 1642, lib. *Decret. Paulucc.*, pag. 190, in *Maceraten.* 8 Martii 1644, *ibid.*, pag. 221 in *Fanen.* 4 Augusti 1654, lib. v *Decret. Paulucc.*, pag. 48.

(41. Syndici conventuum ordinis FF. Min. Observ. ex Bulla supræcitata gaudent privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis, etiam motis ante eorum deputationem seu institutionem ad officium syndicatus. Sac. congr. Immun., in *Rom.* 23 Maii 1655, lib. iii *Decret. Paul.*, p. 251.

(42. Syndicus legitimus et unicus Fratrum Minorum strictioris observantiæ ex laudata Bulla gaudere debet privilegio fori, tam in causis civilibus quam in criminalibus et mistis, nec a quoquam potest molestari, nisi coram legitimo conservatore. Sacra cong. Immun., in *Terracinen.* 6 Septembr. 1666, lib. i *Decret. Altoviti*, pag. 32.

(43. Non potest compelli ad exercenda munia publica communitatis. Sac. congreg. Immun., in *Sabin.*, 10 Maii 1667, *ibi.*, pag. 124.

(44. Nec ad solvendas collectas pro oneribus communitatis super propria ipsius bona: dummodo sit unicus syndicus conventus. Sac. congr. Immun., in *Feretrana* 19 Maii 1703, lib. iii *Decret. Val.*, pag. 488, et in *Martiran.* 28 Martii 1704, dict. lib., pag. 566.

(45. Syndicus conventus FF. S. Francisci Min. Observ. est subjectus jurisdictioni episcoporum, non existente legitimo conservatore religionis. Sac. congreg., in *Assisiens.* 21 Aprilis 1643, lib. iii *Decretor. Paulucc.*, pag. 198.

(46. Syndicus conventus S. Francisci de Alvernia habitans in civitate Æsina non gaudet privilegio syndicorum vigore Bullæ Clementis VII. Sac. congreg. Immun., in *Æsina* 24 Maii 1701, lib. iii *Decret. Val.*, pag. 535.

(47. Episcopus potest procedere contra syndicum Fratrum Min. Observ. S. Francisci ob contraventionem diei festi. Sac. congreg. Immun., in *Forosempronien.* 25 Januarii 1650, lib. iv *Decret. Paul.*, pag. 98.

(48. Sacra congregatio declarat bene processum fuisse per curiam episcopalem contra syndicum hujusmodi, attento consensu ejusdem syndici in jurisdictionem. Sacra congreg. Immun., in *Auzimana* 10 Septembris 1647, *ibi.*, pag. 26.

(49. Episcopus insinuat syndico FF. Minor. Observ. ut vel absteineat a syndicato vel ab officiis publicis. Sac. congr. Immun., in *Asculana* 4 Aprilis 1656, lib. v *Decret. Paul.*, p. 9.

(50. Imo syndicus FF. Min. Observ. et simul appaltator ovorum in loco montis Falchi quoad pertinentia ad appaltum non gaudet privilegio fori. Sac. congreg. Im-

mun., in *Spoletana* 21 Novembr. 1702, lib. vi *Decr. Vallem.*, pag. 220.

(51. Syndici FF. Minor. Observ. S. Francisci tenentur parere mandatis ædilium quoad merces, et earum emptionem et venditionem sive etiam translationem ad loca nundinarum. Sac. congr. Immun., in *Ariminen.* 15 Decemb. 1671, lib. i *Decret. Altov.*, pag. 671.

(52. Pro syndicis FF. Capuccinorum dantur decreta emanata pro exemptione syndicorum Fratrum Min. Sac. congr. Immun., in *Rom.* 15 Decembr. 1671, *ibi.*, pag. 633.

(53. Syndicus fabricæ conventus FF. Capuccinorum gaudet privilegio fori ad tenorem constit. fel. mem. Clement. VII. Sac. congreg. Immun., in *Recinaten.* 17 Martii 1674, *ibi.*, pag. 911.

(54. Syndicus monialium S. Claræ allegare potest privilegium fori coram conservatore, eoque gaudere. Sac. congreg. Immunit., in *Urbanien.* 8 Apr. 1642, lib. iii *Decret. Paul.*, pag. 174, et 5 Septemb. 1668, lib. i *Decretor. Altoviti*, pag. 263.

(55. Syndici monialium S. Claræ gaudent privilegio fori, prout gaudent syndici Fratrum Min. Observ. S. Francisci. Sac. cong. Immunit., in *Recinaten.* 15 Februarii 1656, lib. v *Decr. Paul.*, pag. 89.

(56. Et sunt exempti a repræsaliis. S. C. Immun., in *Spoletana* 14 Jan. 1698, lib. ii *Decr. Val.*, pag. 133.

(57. Syndicus monialium S. Claræ gaudet exemptione quoad onera personalia tantum. S. C. Imm., in *Ariminen.* 15 Martii 1672, lib. i *Decr. Alt.*, pag. 682, et in *Forosempronien.*, dictis die, ann. et lib., pag. 664, et in *Feretrana* 27 Februarii 1674, *ibi.*, pag. 93.

(58. Syndicus monialium S. Claræ, licet teneatur ad collectas communitati impositas pro solutione salarii inservientium communitati, cum non sint onera personalia, attamen, quia fuit in bona fide, et actus executionis factus a judice laico non potest ipsum constituere in mala fide, non tenetur ad solutionem dictarum collectarum, nisi post decretum sac. congr. quo declaratum fuit dictum syndicum gaudere privilegio fori, et exemptione ab oneribus personalibus tantum. S. C. Imm., in *Feretrana* 31 Junii 1674, lib. i *Decr. Alt.*, pag. 974.

(59. Syndicus monialium S. Claræ quoad privilegium personale non gaudet, nisi in loco, ubi exercet officium. Sac. congreg. Immun., in *Feretrana* 31 Augusti 1674, lib. i *Decret. Alt.*, pag. 1445.

(60. Syndici terræ Sancti Petri gaudent privilegio quoad forum et personam. Sac. congr. Immun., in *Catacen.* 14 Sept. 1626, lib. i *Decret. Paulucci*, pag. 25.

(61. Unus autem tantummodo syndicus Apostolicus pro unoquoque conventu gaudet prædictis Apostolicis privilegiis, prout pluries rescripsit sac. congreg. Boni Regiminis, et signanter in *Pisaurien.* 24 Januarii 1699, ut patet ex allata constitutione Clementis VII, § 2, *ibi*: « Idecirco uni syndico

et procuratori hujusmodi; » et ex allata etiam constitutione Innocentii XII, ante § 1, ibi: « Unus procurator sive syndicus Apostolicus. »

(62. Insuper eadem sacra congreg. Boni Regiminis die 19 Julii 1654 proposita causa ad instantiam quarundam communitatum, partibus auditis, censuit « syndicos Apostolicos teneri ad onera communitativa. » Sic referunt Matthæuce., *Official. cur.*, c. 51, n. 6, et Ursaya, tom. III, part. 1, discept. 30, n. 58.

(63. Ecclesiastici assumpti in syndicos Apostolicos non sunt exempti a jurisdictione ordinarii. Sacra congreg. Concilii, die 5 Julii 1710, in *Insulana Exemptionis*, in qua pro syndico Apostolico, qui erat sacerdos, proposito dubio: « An sacerdos Felix de Sola syndicus unicus PP. Minorum Sancti Francisci de Observantia civitatis Insulæ sit exemptus a jurisdictione episcopi; tam extra visitationem quam in actu Sanctæ Visitationis, » fuit rescriptum, *Negative* in casu de quo igitur, in quo concurrebant multæ circumstantiæ exclusivæ talis exemptionis, propter quas sacra congregatio addidit illa verba: *In casu de quo agitur*. Sic refert Ursaya, tom. III, p. 1, discept. 30, n. 59.

(64. Syndici Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod sæculares non pernoctent in conventibus Fratrum Minorum. Sic sacra congregatio episcoporum et regularium, expresse respondit ad dubium eisdem super ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptistam ab Altina procuratorem generalem Ordinis propositum: « An scilicet dicti syndici comprehendantur in decreto emanato die 1 Decemb. 1679. Audito enim Patre ministro generali ordinis, et attentis narratis, dicta sacra congregatio censuit ac declaravit præfatos syndicos conventuum ejusdem ordinis non comprehendendi in enuntiato decreto. » Romæ 4 Decembr. 1699. G. cardinalis Carpineus.

(65. Syndico Apostolico duntaxat licitum est, non Fratribus Minoribus de Observantia seu Reformatis, exigere in judicio legata facta sacristiæ, vel fabricæ ecclesiæ, aut

conventus. Cum enim in congregatione ad id specialiter ab Urbano VIII deputata fuissent proposita hæc duo dubia: « I. An valeat legatum annui redditus factum fabricæ sacristiæ vel ecclesiæ Fratrum Minorum tam de familia quam ex reformatione. II. An liceat Fratribus hujusmodi legata in judicio exigere per eorum procuratores vel syndicos Apostolicos; » responsum fuit: « Ad I. Valere legatum annui redditus factum sacristiæ vel fabricæ ecclesiæ, vel conventus Fratrum Minorum, tam de familia quam de reformatione, nisi adsit excessus in quantitate. Ad II. Nec per seipos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujusmodi legata, sed syndico Apostolico duntaxat. » Sic apud Fagnanum dictæ congregationis secretarium in cap. *Nimis prava*, n. 49 et 12. *De excessibus prælat.*, et apud tom. II *Thesauri resolutionum sacrae congregationis Concilii* in expositione causæ in *Firmana Legatorum*, § *Hæc sunt*.

(66. Syndicus Apostolicus nequit habere dominium et possessionem census relictæ Fratribus Observ. et Reformatis. Et dicti syndici nomine nequeunt præfati Fratres retinere bona stabilia, census aliosque annuos redditus. Sic apud d. tom. II *Thesauri resolut. sacrae cong. Conc.*, in expositione causæ in *Firmana legatorum*, § *Tum quia*, ubi refertur ad id resolutio cit. specialis congregationis et Congregationis R. Fabricæ in *Æsina Legati* 26 Novembris 1692, et sacra congregatio Concil. 2 Octobr. 1721, ubi ad id dubium: « An religiosi S. Francisci Min. Observant. Murri Vallium liceat retinere relictum a quondam Ludovica Moretti in cas., » etc. Responsum fuit: « *Negative*, et syndicum teneri censum dimittere, sed Patres posse recipere fructus ab hæredibus per modum elemosynæ. »

(67. Syndicus Minorum de Observantia et Reformatum in concernentibus correctionem, non est exemptus a jurisdictione ordinarii. Sacra congreg. Conc., in *Nullius Altamuræ Exemptionis* 3 Augusti 1715 ad 5 apud d. Thesaurum, tom. IX circa fin.

SYNODUS DIOECESANA.

Vide verb. CONCILIUM EPISCOPALE, SEU SYNODUS DIOECESANA.

T

TABACCUM.

SUMMARIUM.

1. Tabaccum in quibusvis civitatis et diocesis Hispalensis ecclesiis, atris et ambitu sumi non potest, sub pœna excommunicationis imposita ab Urbano VIII. — 2. Item sub eadem excommunicationis pœna tabaccum sumere in basilica Vaticana, ejusque choro, capellis, sacrario et atris sumere prohibuerat Innocentius X. — 3. Ast istam excommunicationem sustulit Benedictus XIII. — 4. Adducitur ad id notificatio facta ab eminentissimo archiepiscopo illius basilicæ. — 5. Tabacci cujuscunque usus ante missam et communionem indecens

est, et multo magis dedeceret, si masticaretur. — 6. Qui fumum vel pulverem tabacci naribus sumunt non frangunt jejunium naturale. — 7. An illud frangant, qui folia tabacci ore sumunt, et dentibus conterunt ad sputa et phlegmata ex ore projicienda? — 8. Tabacci excessivus usus seu abusus non parva affert incommoda, quæ assignantur, ad n. 9. — 10. Tabaccum Jacobus VI Britannorum rex interdixit in suo regno, bene persuasus ex ejus usu corpora hominum enervari; et Amurathes IV Turcarum imperator sub pœna capitali ipsum prohibuit, ne subditi vel inebriarentur, vel infecundi redderentur. — 11. Adducitur de tabacco lepidum scriptum. — 12.

Adducuntur varia decreta sacrae congregationis Immunitatis in ordine ad faciendam perquisitionem

(1. Tabaccum sive solidum, sive in frusta concisum aut in pulverem redactum, ore vel naribus, in fumo per tubulos, et alias quomodolibet sumere prohibetur, sub pœna excommunicationis latae sententiæ eo ipso absque aliqua alia declaratione incurrenda omnibus et singulis utriusque sexus personis tam sæcularibus quam ecclesiasticis, etiam cujusvis ordinis ac Instituti regularibus quomodolibet qualificatis in quibusvis civitatis et diocesis Hispalensis ecclesiis, earumque atris et ambitu. Urban. VIII constitut. incip. *Cum Ecclesiæ* emanat. die 30 Januarii 1642.

(2. Item sub eadem excommunicationis pœna tabaccum sumere in basilica Vaticana, ejusque choro, capellis, sacrario, porticu et atris sumere prohibuerat Innocentius X sub die 8 Jan. 1650; const. incip. *Cum sicut*. (3. Ast istam sustulit Benedictus XIII sub die 10 Jan. 1725, ut patet in sequenti notificatione.

(4. « Annibal miseratione divina tit. S. Clementis presbyter cardinalis Albanus S. R. E. camerarius, et hujus sacrosanctæ Basilicæ archiepiscopus.

« Omnibus et singulis nostras hasce litteras inspecturis compertum esse volumus a SS. D. N. Benedicto divina Providentia PP. XIII per ejus speciale chirographum seu motum proprium ad nos directum et datum sub die x mensis hujus Januarii anni 1725, Nobis a Sanctitate Sua demandatum fuisse, ut cunctis Christi fidelibus utriusque sexus, ac præsertim reverendis. capitulo et clero sacrosanctæ basilicæ Vaticanae significemus et notum faciamus, prout præsentibus exsequimur, ab eadem Sanctitate Sua, justis prudentibusque de causis in eodem motu proprio indicatis, certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, abolitam fuisse ac penitus abrogatam prohibitionem, alias a fel. rec. Innocentio PP. X. factam, qua sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, omnibus et singulis vetuerat ne, in Basilica præfata ejusdemque sacrario, choro, capellis, porticu et atrio herbam nicotianam, vulgo *Tabaccum* nuncupatam, sive in solidum, sive in frusta concisum, sive in pulverem redactum, fumum ex eo elicatum ore, naribus, aut alias quomodolibet sumere audent vel præsumerent; et virtute memorati chirographi quibuscunque a Sanctitate Sua factam fuisse potestatem dicto tabacco in recensitis sacris locis pro libito utendi, illumque sumendi, cujusvis ecclesiasticæ censuræ comminatione omnino sublata.

« Quia tamen in laudato motu proprio eadem Sanctitas Sua expresse declaravit, ejusdem mentem non esse aut unquam fuisse, ut ex narrata permissione, reverentia et honor dictæ sacrosanctæ Basilicæ debitus ullatenus minuatur, et ideo nobis, qui præfata Basilicæ immeriti quamvis archiepiscopateri munere fungimur, districte præ-

FERRAR. VII.

tabacci in locis immunibus, usque ad n. 17. — 18. Alia ad n. 20.

cepit, ut ejusdem reverendiss. capitulo et clero, qui cæteris aliis exemplo præire debet, ea servanda mandavimus, quæ ad augendam domus Domini sanctitudinem et cultum huic toto orbe celeberrimæ Basilicæ præstandum, cujus incrementum Sanctitas Sua quam maxime in votis habet, facere et conducere judicavimus.

« Hinc piissimis hisce Sanctitatis Suae mandatis morem ex animo gerentes, præsentem edicto rev. capitulo totique clero suprad. Basilicæ districte in Domino præcipimus, non modo, ut in ipsa basilica, vel ejus choro, aut sacrario tabaccum ita circumspecte sumant, ut nemini eorum, qui aderunt, scandali et offensionis ingerant occasionem, verum etiam, quod illorum nullus, præsertim dum choro interest et divinis operatur officiis, arculam seu thecam, in qua nicotianum pulverem servat, ad alios in orbem seu gyrum mittere palam, et publice audeat, sub pœnis arbitrio nostro juxta modum inobediendi infligendis. Volumus autem ut hæc voluntatis nostræ significatio præsentibus litteris consignata in sacrario memoratæ Basilicæ, ac in loco conspicuo, qui ab omnibus cerni possit, semper affixa remaneat, in perpetuum omnium supra dictorum, præceptorumque monumentum.

« Dat. Romæ ex nostro Palatio ad Quatuor Fontes 15 Januarii 1725.

« Loco † Sigilli.

« A. card. S. Clem. arch. »

(5. Tabacci cujuscunque usus ante missam et communionem indecens est, ut notant passim doctores, et signanter La Croix lib. vi, part. II, n. 560, ubi dicit quod Urbanus VIII, constit. 161, et synodus Colonienensis, pag. 88, prohibent ne ullus clericus vel laicus ante missam vel communionem sumat tabaccum nasale; si autem tabaccum traheret fumo, adhuc magis dedeceret, uti notant doctores cum Busemb., lib. vi, part. I, tr. 3, cap. 2, dub. 2, art. 2, vers. *Et si parvitas*, et multo magis dedeceret, si masticaretur.

(6. An vero sumptio tabacci frangat jejunium naturale? Variant doctores. Antonius enim de Leone, in *Quæstionibus moralibus de Chocolata*, part. I, § 4, n. 10 et seq.; Lezana, tom. II, verb. *Eucharistia*, n. 16, et alii, dicunt violari jejunium naturale ad communionem requisitum, quando aliquis fumum vel pulverem tabacci naribus sumit. At vero rectius hanc sententiam rejiciunt Diana, part. v, tract. 13, resolut. 1, et part. VIII, tract. 7, resolut. 3; Pasqualis, in *Praxi jejunii*, decis. 438; Lugo in *Respons. moral.* lib. I, dub. 9; La Croix, lib. vi, part. I, n. 570, cum aliis ibi citatis, et alii passim; et ratio est quia illa non est vera comestio vel potatio, quibus solis jejunium solvitur; sed vel est trajectio salivæ, vel respiratio, vel attractio seu efflatio narium.

(7. Difficultas major est de his, qui folia

25